



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

164. An, à quo Ecclesia parochialis alteri non parochiali, puta monasterio, Collegiatæ, dignitati, canonicatui &c. uniri possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



ad fidei Catholicæ unionem, præscribit spatio 3. annorum, nisi intra hunc terminum repetatur juxta *cit. c. 1. de præscriptione. Barb. n. 3.* porro quot modis probentur hi fines, vide apud eundem Barb. *fusè loc. cit. n. 31. & seq.* vide etiam de hoc Card. Luc. *de paroch. d. 32. n. 2.*

*Questio 162. An, à quo, & qualiter parochiales inter se uniri possint?*

**R**espondeo ad primum, & secundum: possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ legati, sine tamen præjudicio obtinentium (ita ut unio effectum non fortiatur ante eorum mortem, vel resignationem. Laym. *ad c. 4. de etate & qual. presic. n. 4. & Theologie moral. tr. 2. c. 9. n. 9.*) quarumcunque Ecclesiarum parochialium & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum inter se; vel non curatorum cum curatis facere uniones propter earum paupertatem, & in ceteris casibus à jure præmissis (super quibus declarationes aliquas refert Zerol. *in praxi Episcopali p. 2. V. unio etiam si dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta; quæ uniones etiam non possint revocari, nec quoquomodo infringi vigore cujuscunque provisionis, etiam in causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. Ita ferè ad verbum Trid. sess. 21. c. 5. porro non comprehendi hoc decreto parochiales, quæ sunt juris patronatûs, habet declaratio S. Congreg. *sup. cit. cap.* Quòd si tamen in casu denegati pro unione consensûs patroni necessitatibus talium parochialium succurri non potest remediis positis *c. 13. sess. 24.* compelli possunt patroni illarum Ecclesiarum ad præstandam congruam sustentationem Rectoris, vel permittendam unionem, ut habet altera ejusdem S. Congreg. *declaratio. vide Laym. loc. cit.**

**2.** Respondeo ad tertium: ad validitatem unionis talis, dum ea sit per Ordinarium, requiri copulativè solennitatem & causam; siquidem tam suppressio vel unio non secus ac dismembratio redolent speciem prohibita alienationis bonorum ac jurium Ecclesiæ de Luc. *de benef. d. 47. n. 6. & de paroch. d. 10. nu. 5. item ad Trid. l. post citando,* cum hac tamen differentiâ solennitatis, quòd in hujusmodi unionibus & dismembrationibus non requiratur beneplacitum Apostolicum, sicut illud requiritur in vera & formali alienatione bonorû Ecclesiæ; sed sufficiunt solennitates ad normam antiquioris juris Canonici, nempe consensus capituli, prioris Rectoris, populi aliorumque interessatorum. C. de Luc. *ad Trid. d. 8. n. 11. & 12.* cumque juxta generalem regulam alienationum causa consistat in necessitate, vel magnâ utilitate; in præsentate quoque generalem regulam, quæ sit causa sufficiens ad istiusmodi uniones, statui non posse; cum pendeat ex facti ac singulorum casuum circumstantiis, ait idem C. de Luc. *loc. cit. n. 13.* Porro dum unio sit per Papam, autoritas Apostolica supplet consensum patroni, aliâsq; solennitates, sine quibus Ordinarius, etiam accedente causâ, ad hujusmodi actus procedere nequit. Non tamen autoritas Apostolica supplet causam. C. de Luc. *de benef. d. 47. n. 12.* quòd postremum, credo, intelligit, dum Papa non procedit ex certa scientiâ; hæc enim scientiâ deficiente corrui unio ex mentis defectu. Lott. *l. 1. q. 28. num. 162.* De cetero namque dum ex certâ scientiâ (nempe præjudicii, quod per hoc patrono vel collatori inferitur) etiam absque

causa, & cum præjudicio alterius id potest. Lott. *ibid. n. 160.* citans Bald. *l. 1. conf. 1. n. 2. Rotam de cision. 506. p. 2.*

*Questio 163. An igitur absolute, & qualiter requiratur vocatio & consensus patroni & Rectoris ad talem unionem Parochialium inter se?*

**1.** Respondeo ad primum affirmativè: cum enim per unionem Ecclesiæ minuatur quodammodo capite, ejus defensio in hoc casu competit patrono, cumque per unionem perdatur patronatus, agitur de ejus præjudicio. Lott. *l. 1. c. 28. n. 167.* citans Zabor. *conf. 96. sub n. 3.* videtur autem Lott. *ibidem* agere in genere de Ecclesiis & beneficiis quibuscunque juris Patronatûs.

**2.** Respondeo ad alterum affirmativè juxta paulò antè dicta ex C. de Luc. dum autem Lott. *loc. cit. n. 171. & seq.* ait: omnes consentire, vocationem & consensum Rectoris non esse necessarium, cum nullum ei fiat præjudicium ex eo, quòd de ratione unionis sit, quòd suspendatur ejus executio, donec qui beneficium unitum obtinet, cedat vel decedat juxta *c. consultationibus. de donat. Calder. de reb. Eccl. non alien. conf. ult. n. 2.* Vera est ejus doctrina, modò juxta morem aliorum beneficiorum dicta unio parochialium non consequatur suum effectum ante mortem Rectoris.

*Questio 164. An & à quo Ecclesiæ parochialis alteri non parochiali, puta Monasterio, Abbatia, Collegiata, vel etiam dignitati, Canonicatui, &c. uniri possit?*

**1.** Respondeo ad primum affirmativè: sic enim docet praxis & experientia plures parochiales uniri dictis Ecclesiis non parochialibus, & beneficiis non curatis: quod si factum post Trid. referendum est ad auctoritatem Apostolicam, de Luc. *ad Trid. d. 8. n. 19.* unde

**2.** Respondeo ad secundum: tamen olim cum Capituli consensu posset Episcopus loco alicui alteri pio seu religioso donare jura & redditus Ecclesiarum parochialium cum Patroni consensu juxta *c. pastoralis. de donat.* nunc autem per Trid. *sess. 24. c. 13.* prohibitum esse Episcopis, parochialem Monasterio, Abbatia, dignitati, Canonicatui, vel alteri beneficio simplici unire. Laym. *ad c. 2. de suppl. negl. prel. n. 3.*

*Questio 165. Quot modis Ecclesiæ parochialis alteri non parochiali conjungi, & uniri dici possint?*

**R**espondeo: potissimum tribus: vel enim ita conjungitur alteri, ut ei subiecta sit, & illa altera sit principalis, & tunc sequitur naturam principalis; quippe quod accidit ad alterum, sequitur naturam illius ad quod accidit, si illud sit principale. vel ita conjungitur alteri, ut hæc sit parochiali subiecta tanquam principali & superiori, & jam hæc altera sequitur conditionem parochialis. v. g. ut qui ad eam promovetur, debet fieri intra annum sacerdos: vel denique Parochialis conjungitur alteri non parochiali, ita ut ei subiecta non sit, sed æquè principalis ac illa, ita ferè Azor. *p. 2. l. 6. q. 8.* Verùm non omnes hi modi conjunctionis veram unionem sonant seu continent.

*Questio*